Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36485
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

De Simplicio amico Augustini

uiuere scimus. dum meminisse nos et intelligere et uelle certissi
mi sumus. qui nos naturę nostrę magnos cognitores esse iactamus. quid
ualeat memoria nostra. uel intelligentia. uel uoluntas omnino nescimus.
Amicus quidam meus iam inde ab adolescentia simplicius nomine. ho
mo excellentis mirabilisque memorię. cum interrogatus esset a nobis quos
uersus uirgilius in omnibus libris super ultimos diceret. continuo cele
riter memoriterque respondit. Quesiuimus etiam superiores ut diceret
dixit. Et credidimus eum posse retrorsus recitare uirgilium. De quo
cumque loco uoluimus petiuimus ut faceret fecit. Prosa etiam de qua
cumque ratione ciceronis quam memorię commendauerat. id eum facere
uoluimus. quantum uoluimus sursum uersus secutus est. Cum admiraremur.
testatus est deum. hoc se nescisse posse ante illud experimentum. ita
quantum ad memoriam pertinet. tunc se eius animus didicit. et quando
cumque disceret. nisi temptando et experiendo non posset. Et
utique antequam temptaret idem ipse erat. cur se ergo nesciebat? Se
pe nos presumimus aliquid memoria retenturos. et cum id pu
tamus. non scribimus. nec nobis postea cum uolumus uenit ~~in m~~
in mentem. nosque penitet credidisse uenturum. uel litteris non alligasse
ne fugeret. et subito rursus cum id non queramus occurrit.
Numquid nos non eramus. quando cogitabamus. nec tamen hoc sumus
quod fuimus. quando id cogitare non possumus? Quid est ergo
quod nescimus. quomodo subtrahimur negamurque nobis? itemque nescio
quomodo proferimur adnos. reddimurque nobis. quasi alii simus et alibi
simus. quando querimus. nec inuenimus quod in memoria nostra
posuimus. neque nos ipsi ad nos ipsos uelut alibi positos perue
nire possimus. et tunc perueniamus quando inuenimus. Ubi enim
querimus nisi apud nos? Et quid querimus nisi nos? quasi non
simus in nobis. et aliquo recesserimus a nobis. Nonne attendis
et exhorrescis. tantam profunditatem? Et quid est hoc aliud. quam
nostra natura? nec qualis fuit. sed qualis nunc est. Et ecce ma
gis queritur. quam comprehenditur. Sepe in propositam questio